

III.  
NEOVIDENSIS

Nrö. 92. (*Neovidensis* 1806. Nrö. 86.)

---

*Secretum litterarum commercium vivos inter,  
ac mortuos.*

Epistola scripta in Elysium Joanni Bapt.  
Homann:

*Ex mundo superiore.*

---

Elysium--Meum.- Die Veneris 7. Novemb. 1806 (*Neov.* 24. Octob.)

---

Nuper in quadam societate audi vi-  
rum in tabulis geographicis, quas in praesentibus  
belli adjunctis omni momento ad manus su-  
mimus; egregie versatum disserentem. Exi-  
stimavit ille Mappas Homannianas esse obso-  
letas, et adeo mendosas; ut earum usus ha-  
beri nequeat.

Bone vir, Homanne! non potui celare  
meam indignationem; praecipue autem me  
commovit incusatio, quam Imperatori, te  
suum Geographum nominanti adornavit, quasi  
vero indigno fuisset collata isthaec dignitas.

Ita enim paulo iratior apud me reputabam: Initio utilis cujusdam operis summam exigere perfectionem stoliditas est. Bonus tamen Homannus primus erat, qui volumen tabularum geographicarum collegit, et ante alios divisionem nostrae patriae secundum principia pacis Vestphalicae ordinavit.

Tum quaesivi ex reprehensore, quaeenam esset Mappa, quae praesentem possessionum statum, divisasque Germaniae provincias, melius, accuratiusque exponeret? Verum ille nihil scivit respondere, hae etenim possessiones diversorum Dynastarum, ac Principum intra paucos annos ita immutatae sunt, ut nec tempus suppetierit easdem inserendi tabulis geographicis. Interim, dicebam, hoc est boni nostri Homanni meritum, visuros nostros posteros suo ordine in ejus tabulis, quem nam tenuerimus olim statum, et in quem simus deinde devoluti.

Idem fatum manet geographico-historico-statisticum Lexicon Volfgangi Jäger Professoris Altorfiensis, quod Conradus Mannert, itidem Altorfiensis Professor locupletavit. Vix publici juris fecit sedulus Professor primam ejus partem, illico novae mutationes enatae sunt in Geographia, et possessionibus nostrae patriae Germaniae; usui tamen est, nam continet historiam nostrarum vicissitudinum, potestque in supplemento jam factas, et adhuc faciendas divisiones suppeditare.

Profecto, bone, praeclare vir! imminent  
 novae geographicae conversiones, quas prae-  
 sens bellum inducet; hoc fato jam dudum  
 patria nostra regebatur. Solus ille status,  
 quem tu in tuis tabulis connotasti, durabit  
 diutissime. O utinam iterum tam diutur-  
 nus succederet!

Inducta in Germania per Carolum IV.  
 Imperatorem divisio in circulos in praesen-  
 tibus, et futuris rerum adjunctis debet sua  
 sponte desinere. Rhenanum foedus, et nova  
 Regna exigunt novas divisiones. Dilecte  
 Homanne! non existit amplius Germanicum  
 Imperium! sic dictus *nexus Imperii* cessavit.  
 Principes, Duces, Magni Duces, et Reges  
 consecuti sunt illimitatam potestatem guber-  
 nandi negotia interna, seque foedere adjun-  
 xerunt Galliae, ut contra impetus extraneo-  
 rum defendantur. Ista est positio, et Geo-  
 graphia Germaniae. Quid sit in Germania  
 septemtrionali post hoc bellum futurum, do-  
 cebit eventus. Putatur Saxonia quoque, et  
 Hassia ad foedus Rhenanum accessura. Quid  
 autem Borussia?

Ita etiam veteres gallicae provinciae in  
 diversas Praefecturas distributae sunt, et quan-  
 tum apparet, pro Hispania quoque, et Por-  
 tugallia nova elaborabitur Geographia, nam  
 Baionna, uti ephemerides *Gazette de France*,  
 affirmant, scribitur, ultimas litteras ex Hi-  
 spania allatas plenas esse apparatu bellico,

videlicet a Rege Hispaniae indictum esse bellum Portugallis, et a Principe pacis duci exercitum hispanicum.

Bellum inter Angliam, et Galliam iterum fortius urgetur; Interim Anglia novam cudit Geographiam pro aliis mundi partibus; in Europa contra Gallos ei nihil succedit, uti patet ex nunciis Parisinis de 19. hujus:

Angli secundam jam tentarunt aggressi-  
nem contra classem Boloniensem, quae ta-  
men non alium habuit successum, quam  
quod nonnullae domus in urbe fuerint labe-  
factatae. Nocte in diem 14 vergente adorti  
sunt Caletum, unde sequentia referuntur:  
Angli comparuerunt ante Caletum, tormentis  
impeturi propugnaculum, at re infecta dis-  
cesserunt. Aliquod perforata tecta, atque  
anxietas mulierum erant consecraria clamo-  
rosae illius noctis. Hostis 30, vel 35 globos  
injecit in urbem, quorum plerique in aere  
rupti sunt, nemo vulneratus. Igni hostili ex  
munimentis egregie responsum est. Strata-  
gema inimici die 14 factum videbatur deno-  
tare, ut iterum sequenti nocte redeat, sed  
adversus ventus turbavit propositum, est qui-  
dem adhuc in conspectu nostro, sed in ma-  
jore distantia etc.

Nudius tertius iterum extra ordinem con-  
gregatus est Senatus. Sequens autem est te-  
nor litterarum Imperatoris et Regis, cum Se-

natu  
catar  
exivi  
mani  
viso  
attig  
illico  
esse  
fuiss  
ante  
Bor  
infer  
fue  
nia  
coa  
da  
gior  
pro  
run  
ian  
cor  
bat  
qu  
et  
off  
tio  
ille  
be  
te  
ne  
di  
co  
d

natu per Archicancellarium Regni communi-  
 catarum: Senatores! Ex urbe nostra principe  
 exivimus, properantes ad exercitum in Ger-  
 mania, quamprimum intelleximus ex impro-  
 viso apparatu illi periculum imminere. Vix  
 attigimus limites nostrarum provinciarum,  
 illico animadvertimus summe necessariam  
 esse nostri praesentiam, optimeque factum  
 fuisse, adhibita fuisse defensionis remedia  
 antequam ex medietate Regni excessissemus.  
 Borussicus exercitus stabat paratus ad vim  
 inferendam, jamque omnibus ex partibus con-  
 fluebat, jam suos limites transilierat. Saxo-  
 nia erat vi occupata, ejusque sapiens Rector  
 coactus contra suam voluntatem, et commo-  
 da suorum populorum agere. Borussicae le-  
 giones nostras praevenerunt; diversi generis  
 provocationes, imo etiam violentia prodide-  
 runt odium nostrorum inimicorum, veluti et-  
 iam moderationem nostrae militiae, quae ad  
 conspectum tantorum motuum tantum mira-  
 batur, nulla sibi dari mandata, atque ac-  
 quievit duplici illi fiduciae, quam fortitudo,  
 et justitia causae inspirat. Primum nostrum  
 officium fuit, transire Rhenum, sumere posi-  
 tionem, et audire dari classicum. Insonuit  
 illud auribus nostris, omniumque nostrorum  
 bellatorum. Celerrima itinera illo momento  
 temporis ad destinatam deduxerunt statio-  
 nem; omnia castra formata sunt, jam aggre-  
 dimur Borussos vim vi repulsuri. Interim  
 cogimur fateri, summo nobis esse dolori vi-  
 dere, quomodo malus genius in Europa sem-

per superpondium obtineat, et assidue conetur nostra consilia ad pacem Europae, et felicitatem populorum tendentia intervertere, omnes aulas diversis captiosis artibus obsidere, et quas corrumpere non potuit, in errorem inducere, ratione verae utilitatis excaecare, atque in medium factionum praecipitare absque omni alio ductore, quam animi affectionibus in illis concitatis. Ipsa Aula Berolinensis sine deliberatione sequitur factionem, cui adhaeret, est calliditate, et malitia ad illam pertracta. Rex repente aderat centum horis remotus a sua metropoli, in limitibus Rhenani foederis, in medio sui exercitus, armatus contra gallos, qui in suis stativis dispersi fuerunt, confidebantque in foedere, quo ambae nationes junguntur, in declaratione amicitiae, quam Aula Berolinensis quavis occasione fecerat. In tam justo bello, in quo nos solius nostrae defensionis causa arma capimus, quod nullo nostro facto, aut postulato concitavimus, cujus veram assignare rationem nescimus, spem totam collocamus in auxilio legum, nostrorumque populorum, quos circumstantiae evocant ad danda nova sui erga nos amoris, addictionis, ac fortitudinis specimina. Quod nos attinet, nullus nobis accidet molestus labor, nullum declinabile periculum, quotiescunque opus fuerit jura, honorem, et felicitatem nostrorum populorum securam praestare. Datum

in no  
bergae

Statu

subsi  
um c  
bava  
In A  
trali  
debet  
preti

erigi  
ning  
fectu  
gae  
Pork

Heri  
vari  
heb  
illic

Pat



in nostro Caesareo primario hospitio Bambergae 7. Octobr. 1806.

*Napoleon.*

Ad mandatum Imperatoris, Minister  
Status Secretarius:

*H. B. Maret.*

Passavia 17. Octobris: Hinc hodie duae subsidiariae centuriae ex legione Pii Monachum discessere, Generalis autem Deroy cum bavaricis copiis Ingolstadium est profectus. In Austria numerosi equi emuntur pro neutrali exercitu in Bohemia, Quadrans Austriae debet 150 statuere equos, quorum tamen pretium deponetur.

Manheimio 10. Octobris: Nova legio erigitur, cui adjugentur milites Principis Leiningensis, et Fürstenbergensis, illis jam praefectus est Amorbachii, his vero Doneschingae Badensis Generalis excubiarum magister Porbek.

Augusta Vindelicorum 21. Octobris: Heri expeditum est mandatum ad Regias Bavaricas subsidiarias legiones, quae praeterita hebdomade horum erant translocatae, ut se illico itinere accingant Bambergam versus.

Dillinga 20. Octobris: Eruditus Jesuita, Pater Zallinger, Rector Lycei Augustani ad

S. Salvatorem, qui anno superiore Romam evocatus, ibidem pluribus mensibus morabatur, praeteritaque aestate cum nuncio Apostolico Della Genga Ratisbonam venerat, paucos ante dies Augustam revertit, quo etiam Apostolicus nuncius proxime venturus expectatur, videtur enim in praesentibus rerum politicarum adjunctis nulla amplius fieri mentio de concordato pro Catholica Germania:

### BIOGRAPHIA.

*Homann*, Joannes Bapt. A. 1654 die 26. Martii in vico Vindelheimensi Kamlach natus parentibus Religioni Catholicae addictis; in eadem quoque educatus, sed dein Lutheri placita secutus est. A. 1687 venit Norimbergam, factus Notarius. Verum animum adiecit ad condiscendam artem sculptoriam, tantamque aeri incidendo tabulas geographicas sibi nominis celebritatem comparavit; ut A. 1715 ab Imperatore aurea catena donaretur, et ejus Geographus nominaretur. Petrus Magnus eum A. 1722 suum Agentem constituit. Vitae cursum absolvit A. 1724. Ex omnibus, quas edidit, *Mappis*, singulari memoria dignus est *Atlas Germaniae specialis ex 125 tabulis* constans. Ejus filius Joannes Christophorus continuavit Patris commercium cum tabulis geographicis, usque dum A. 1750 morte fuisset deletus.

---